

gore : quod interdum his locis tam vehemens est, ut Equos cum fessoribus penitus confringat, & Marmoris instar induret. Pluvias, Fulmina, & totius anni mutationem sentit distinctis intervallis, haud aliter atque Europa: nisi quod illic æstas est quum nobis est hiems, mutatis rerum vicibus. Regio omnis partim maritima est, partim montana: quæ pars Mari vicinior est, ea magis calet. Terra natura sua fertilis, omniumque ad vitam necessariorum abundantissima, Melle, Verzin oque sive tinctorio ligno abundat. Gignit cum primis Piper longum: profert & laudatissimum Vinum comportaris eo ex Hispania palmitibus. Auri obrisi hic quoque ingens proventus. Fructus qui ex Hispania allati hic feruntur, facile crescunt. Magna hic Pecudum & Struthionum frequentia. Metropolis est Civitas *S. Jacobi*, Colonia Hispanorum, quam illuc nostra memoria duxerunt. Maritima multis fluminibus irrigantur, quæ colliquefactis diurno calore nivibus dilapsa summis Montium jugis, in Pacificum aut Magellanicum Equor feruntur: sed plerique ob indomitum frigus noctu concrescunt, interdiu vero decurrunt soluto gelu. Montes hujus Regionis cæteris ita præcellunt, ut in universo Indiarum tractu similes non reperiantur.

*Cæli qualitas.
Solifertilitas.*

*Urbs S. Jacobi.
Flumina.*

Montes.

Superest. Terra Orientalior *Brasilia*, a Verzino, sive coccinei Ligni illic enascentis copia sic dicta. Inter duos fluvios sita est, *Maragnon* & *Della Plata*. Ea sic a Maffeo describitur. *Brasilia* duobus ab Æquatore gradibus partibusve, ad gradus quinque & quadraginta in Austrum excurrent, trigoni oblongi speciem refert, cujus basis in Æquatorem & Septentriones obversa, ab Oriente in Occidentem recta protenditur. Angulus extremus ignotas ad Meridiem Regiones attingit. Latus in Orientem spectans, interposito Oceano Hesperiiis Æthiopibus objacet. Alterum Latus a Provincia Peruana determinat juga Montium adeo celsa, ut ipsos avium volatus fatigare dicantur, uno dumtaxat, quod adhuc exploratum sit, eoque difficillimo transitu. Regio tota in primis amœna est, Cœli admodum jucunda salubrisque temperies: lenium quippe a pelago ventorum commodissimi flatus maturinos vapores ac nebulas tempestive disjiciunt, solesque purissimos ac nitidissimos reddunt. Terra partim in planitiem soluta, partim in colles clementer assurgens, felix præpinguibus glebis, & rigno solo, semperque vernante, credita semina, multiplici reddit fœnore; & Sacchari præsertim est ferax. Quadrupe dia hic plurima sed feræ sylvestria, partim nota nobis, partim ignota: Avesque coloris eximii. Multæ hic Portugallensium Coloniarum, in quibus complura sunt ab ipsis ad Saccarum excoquendum constructa Edificia, nempe *Pernambicum*, Caput *S. Augustini*, Portus omnium Sanctorum, ubi Episcopalis & Præsidis totius Provinciarum Sedes. Scatet ea tota feræ plaga Fontibus ac Sylvis & amnibus inclytis: è quibus (ut reliquæ taceam) is quem *Argenteum* vocant, leucarum quadraginta Ostio in Oceanum fertur, adeo violentus, ut inde Nautæ dulces hauriant latices, priusquam tellurem ex alto conspiciant. Nullos omnino Brasiliani colunt Deos, Orientem tamen Solem venerantur, & Animarum immortalitatem credunt.

Cæli temperies.

*Solifertilitas.
Animalium varietas.*

Inula.

Mores.